

**G**LORIA IN EXCELSIS DEO. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex caelstis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, JESU CHRISTE. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris,. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, JESU CHRISTE. Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

**M**UNDA COR MEUM ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.  
**JUBE, DOMINE BENEDICERE.** Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

**C**REDO IN UNUM DEUM, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, not factum, consubstantiale Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.


**Q**UI PRIDIE quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens, benedixit ✠ fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes:

### HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

**SIMILI MODO** postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas item tibi gratias agens, benedixit ✠ deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes:

### HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI MYSTERIUM FIDEI QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Haec quotiescumque feceritis,  
in mei memoriam facietis.



**S**USCIBE SANCTE PATER omnipotens aeterne Deus hanc immaculatam hostiam quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offenditionibus et negligentiis meis et pro omnibus circumstantibus sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis. ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

**O**FFERIMUS TIBI Domine calicem salutaris tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

**I**N SPIRITU HUMILITATIS et in animo contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi Domine Deus.

**V**ENI SANCTIFICATOR omnipotens aeterne Deus et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

**S**USCIBE SANCTA TRINITAS hanc oblationem quam tibi offerimus ob memoriam passionis resurrectionis et ascensionis JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI: et in honorem beatae Mariae semper Virginis et beati Joannis Baptiste et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et istorum et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

**P**LACEAT TIBI sancta Trinitas obsequium servitus meae: et praesta ut sacrificium quod oculis tuae majestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile mihi et omnibus pro quibus illud obtuli sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

INITIUM SANCTI EVANGELII  
SECUNDUM  
IOANNEM

✚

**I**N PRINCIPIO ERAT VERBUM

et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehendenterunt. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt.

*Hic genuflectitur*

**ET VERBUM CARO FACTUM EST**

et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius: gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Deo Gratias.

**D**EUS, QUI HUMANAЕ SUBSTANTIAЕ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. per omnia saecula saeculorum. Amen.

**L**avabo inter innocentes manus meas.  
et circumdabo altare tuum, Domine.

**U**t audiam vocem laudis  
et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae:  
et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus animam meam:  
et cum viris sanguinum vitam meam:

In quorum manibus iniquitates sunt:  
dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum:  
redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo:  
in ecclesiis benedic te, Domine.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto  
sicut erat in principio et nunc et semper  
et in saecula saeculorum. Amen